

Qk. 526, 13.

B. m. II,



BLASII PASCALIS

VITAE
COMMENTARIOS
ORDITVR

ACTVIQVE ORATORIO

DIE VICESIMO QVINTO MAII
HORA SECVNDA POMERIDIANA

CELEBRANDO

VT

BENEVOLE ET AVDIENTIVM ET IVDICANTIVM
CORONA MAXIMA

ORNAMENTO SIT

OFFICIOSE PRECATVR

M. GOTTHELF EHRENFRIED BECKERVS.
RECTOR.

D R E S D A E,

EX OFFICINA HARPETERIANA.



BLASII PASCALIS

COMMENTARIOS

DE LINEA

ACTIVAE ORATORIAE

DIE N. CESSIMO QUINTO M. DC.

HORA SECUNDA POMERIDIANA

CELEBRATA

VI

BEHNOLD ET WITTMANN FR. IMPRINTUM

CORDA MARINI

DESCRIPTIO

ORATORIAE

J. GOTTLIEB ERHARTH BECKERUS

RECTOR

D. 1733

IN OFFICINA HARTHELIANA





Si cujusdam mihi vita hominis admirationis plena maxime est visa: certe est vita, quam nobili profapia oriundus *Blasius Pascalis* in exemplum natus, maximaque cummulatus laude seculo, quod nostrum antegressum est, decurrit. Quamuis enim ipsa exiguis sane & angustioribus multo, ac aliorum vita esse solet, circumscripta regionibus fuerit: tamen celebritate famae, quam immortalem ardentissimo religionis amore, solertia, atque alti sagacitate animi, flumine ingenii atque vberriimae doctrinae copia est consecutus, longissimam antegressa vitam, quin cum omni adaequata fuit posteritate. Operae proinde pretium me facturum esse existimaui, si vitam suam strictim, ut quaeque memoria digna mihi videbuntur, perscribam. * Editus in lucem fuit ad XIII. Kalendas Quinti-

) (2 les

* Hanc in primis ob rationem animum ad describendam Blasii Pascalis vitam appuli, quoniam vel principem locum meretur inter eos viros, qui religionem Christianam adversus temerarios Dei osorum impetus propugnare annisi fuerunt. Socii sui, qui eodem in laudabili labore versati fuerunt, sunt praeter patres ecclesiae aliosque vel nimis vetustos vel recentiores, *Mornaeus* (du Plessis Mornai), *Hugo Grotius*, *Petrus Daniel Huetius*, *Iacobus Abbadie*, *Isaacus Laquelor*, *Benedictus Picterus*, *Ceriscus*, *Matthaeus Hale*, *Petrus Allix*, *Richardus Cudworthus*, *Grew*, *Richardus Bentleyus*, *Sberlock*, *Beueridge*, *Touche-Boesnier*, *Gastrel*, *Fenelon*, *Philippus a Limborch*, & *Salomon von Till* compluresque alii v. praefatio Germanica C. L. B. qui *Iacobi Abbadie* auro contra carius scriptum de Veritate religionis Christianae ex Gallica lingua in Germanicam transtulit cfer. *Unschuldige Nachrichten* 1714. p. 452 seq.

les anni supra millesimum sexcentefimi vicesimi tertii Clarmontii haud ignobili Aluerniae oppido. * *Stephano* patre vsus est diligente, indulgente omnibusque doctrinae copiis instructo, qui splendorisne plus & dignitatis ab amplissimo munere, quo functus est, caperet, eue dexterrime illud obeundo conciliaret redderetque, fecit ambiguum. Nempe supremus iudex praecerat ei consilio, quod ibi tributa regia curabat (President en la Cour des Aides). Mater erat Antonia ex Begonia gente, quae vero non diu laetitia, quam ex diuinitus sibi concredito pignore illo caperet vberimam, fruebatur. Praematuris enim erepta fatis diem suum anno cDcDccxxvi. obiit & viduatum maritum filiasque duas & hunc filiolum suum trimum reliquit orbos. Simul ac Blasius ad id aetatis peruenerat, vt articulatae sonos vocis ederet, tam egregia iam eo tempore acerrimi sui ingenii edebat documenta, vt omnes hunc pusionem audientes in admirationem ipsiusque amorem raperentur. Scintillulae enim, quas haec sub cinere adhuc latens flamma ingenii splendidissimi, idemtidem emittebat, tam purum ostendebant ignem, vt non solum pater sed etiam propinqui iam bene de eo sperare & confidere possent, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt. Neque vero, progrediente aetate, infringi vel certe languescere hanc spem ac fiduciam, quam de se sui conceperant prolixam, fuit. Sed quo corroborator confirmatorque ipsius aetas fieret, eo magis animi excellentissimi vires adulescebant perficiebanturque. In primis haec in puero mirifica animi indoles tum ingeniosis quaestiunculis, aptisque & acutis responsionibus, exsplendescibat, tum facillima omnium rerum, quae ipsi tradebantur, perceptione, & quod magis mirum videri poterat, penitiori illarum peruestigatione, foecundiorique aliarum rerum ex his inuentione prodebat.

Ex-

* Fons, ex quo deriuabo riuulum meum est Gallica vitae Blasii Pascalis descriptio a sorore eius Perieria confecta & libro: *Pensées de M^r. Pascal sur la Religion & sur quelques autres sujets*, Ulme 1717. annexa.

Exstincta matre, pater sibi soli, vti etiam erat, omnem educandorum suorum liberorum laborem, impositum esse arbitrabatur. Quoniam igitur mirifico liberorum flagrabat amore & educationem liberalem, vel Attalicas longe exsuperare diuitias, quas pater liberis relinquat, explorate noverat: propterea constitutum habebat animo, hoc insigni bono non priuare liberos suos. Sed quod animo praeuidebat, se in publica re administranda tanta negotiorum mole obrutum, & tam frequenti salutantium officio interpellatum iri, vt ne tranquillum ac otiosum spiritum ducturus sit, nedum, vt educationi liberorum otiose vacare posset: reipublicae curam deponere & in priuatis rebus, liberis in primis suis instituendis, eo maiorem operam collocare atque industriam decreuit. Quin mutauit quoque sedem domicilii & Parisios tanquam in portum se recepit, vbi a strepitu negotiorum & importuna moleste officiosorum turba conquiesceret. Sedulus igitur ibi hoc suum opus instituit. Praecipua vero, tantum non neglectis filiabus, in filiolo suo cari stabat cura parentis. Hanc mollem flexibilemque ceram ad formam exquisitam, bonam, pulchram tractando adducere, dies noctesque cogitabat. Et adspirante diuino numine & eam, solis instar, liquidam tractabilioremque reddente, voti sui ex asse damnatus fuit. Insuper vtramque, quod in institutione liberorum, si cum fructu succedere debet, adsit necesse est: mirifice abundabat. Pater enim egregie excultus litterarum studiis erat & filius haudquaquam similis infocundi agri, in quo tantum triste lolium & steriles dominantur auenae, largam doctrinae messem in futurum portendebat. Erat admirandum, quin omnem excedebat fidem, quam insignes breui tempore fecerit in litteris progressus. Maturitas doctrinae longissime anteibat aetatem suam; quum puellus ad huc mente & notitia eas complexus res est, quae viris, non exigua doctrinae laude florentibus, solent esse ignotae. Exinde factum est, vt famam ingenii sui exspectatio; expectationem ipsa ejus periclitatio atque experientia superaret. Quamquam autem in omnes omnino res discendi ferebatur amore: tamen in primis maxima animi propensio ad mathematicas scientias in eo esse deprehendebatur, &

in infantia ferme adhuc ejus sese insigniter prodebat. Quum enim pater hanc sibi quasi legem in educando constituisset, vt filii ingenium altioribus aetate sua rebus obruere, & primo nascens quasi in herba enecare noller; omnes linguas atque disciplinas puerili non consentaneas aetati, seponere aliquantum temporis, & aetati, quae his rebus apta tractandis ac idonea foret, reseruare instituit. Eadem ratio ipsi suafit, vt ante duodecennium puerum linguam docere Latinam differret. Interim crebro sermone cum ipso de multis obuiis rebus instituto; praeparauit animum & quasi emolliuit & subegit sinum ejus ad semina disciplinarum iusto tempore eo felicius accipienda, fouenda & eo majori cum foenore aliquando reddenda. Nam ostendit ipsi vniuersam linguarum naturam, cujuslibet videlicet ipsarum accuratam posse tradi institutionem, sollertia hominum, excogitatam. Hacre effectit, vt deinde ab regulis Grammaticis discendis non abhorreret animus, atque sciret, cui bono istae familiares sint reddendae, vtque iis potissimum, ceteris in transcurso & obiter delibatis, inhaereret, quae essent vtilissimae. Deinde sermones multos habuit mox de Deo, effectore mundi ac molitore, mox de mente, mox de rebus corporeis; saepe etiam mentionem iniecit eruditi mathematicorum pulueris, in quo pater non irritato conatu desudauerat. * Sed eandem propter causam, quam supra designavi, sollicito cauebat, ne cupiditas Geometriae cognoscendae in animo nasceretur sui filii. Existimabat enim ex vero, ipsius studium extincturum ingenii alacritatem, qua prima aetas ad linguas discendas ferri debeat. Solent enim praeclarissimae hae litterae propter rerum inuestigationem verborum nos negligentiores reddere, & dum vnice intenta mens arcanis atque abditis rebus enodandis, euoluendis contemplandisque est, torporem quemdam, ad elegantiam sermonis comparandam, ingenio inducere. Sed inanis erat ista cautio, dum naturae quo-

* Extant de illo Stephano Pascale rum libellus Gallice conscriptus de *l'équilibre* humorum (de l'équilibre des liqueurs) tum scriptum eadem lingua confectum: de triangle arithmetico (du triangle arithmétique) v. Summe Rev. Ioecheri, *Geslehtren Lexicon* p. 1274. edit. nouiss.

quodam inuicto impetu puer ad has artes incitabatur vehementissime. Simul enim vel fando aliquid de ipsis a patre audierat: in tantum statim earum amorem exardescibat, ut patrem quidem ipsarum in sermone meminisse poeniteret. Tot enim interrogatiunculis, quibus pleniorum aliquando Matheseos vniuersae notionem exquirere vult, eum iterum iterumque defatigat, ut ipse id ei interdicto quodam vetare & omnes libros de hac scientia conscriptos occludere cogeretur. Neque vero sic incitatum filii cupiditatem vincere potuit, quin is patrem, genio aliquando paululum indulgentem suo & propterea hilariorem, maximis obtestaretur precibus, ut ipsi tantummodo leui penicillo aliquam mathematices notionem adumbraret. Incautior & nullas metuens insidias velificatur filii precibus pater, & scientiam numerorum magnitudinisque, qua lineas, spatia & corpora; proportionisque eorum omnium inter se, & accuratae eorundem in papyro vel in puluere descriptionis, eam esse dicit, simul tamen interdictum suum repetit, ne vel minima ei vocula de ea rursus excidat. Quodsi vero fiat, ut linguas Latinam & Graecam rite percepisset: tum praemii & quasi corollarii loco etiam hanc institutionem neuiquam se ei denegaturum pollicetur. Id sufficit ad facem puero in spississimis Mathematices tenebris praefendam & ei velut Helyce aut Cynosura quaequam est, ad quam cursus navigationis in hoc satis patente mari esset dirigendus. Diuiserat, autore patre, in certas diem partes. Aliquot horas in discendo conterebat, nonnullas contra ludo ac otio fallere liberum habebat. In his igitur subsceciuis horis, in quibus sibi ipsi relictus erat, ingens aggrediebatur opus, mathematicam sine magistro, sine libris, sua mentis vi inuestigandi. Neque audentem fortuna destituit. Nam quum in triclinium animi causa secedere solitus erat, ut ibi ludos suos, patre aliisque opinantibus, luderet: pater eum aliquando clanculum adcessit, ut, quid ageret, inspectaret. Filius in acerrima mentis cogitatione defixus, ne praesentiam quidem patris animaduernerat, & propterea contemplationi intentus oculos non detorserat a formis, quas atro

car-

carbone in quadrantibus lapidibus, quibus triclinium erat stratum, descripserat. Ille per aliquod tempus praestolatus tandem primus silentium rupit & ex eo quaesivit, in quam re tam enixe laboraret? Pudore suffusus filius & paterni memor interdicti exhorruit patris aduentum, neque, quid illi responderet, statim inuenit, inprimis cum ipsa legitima artis vocabula eum fugerent: tandem quum ille in quaerendo perseveraret, se ad finiendam, dixit & emetiendam angulorum trianguli magnitudinem obstinate operam dedisse, & eam se, protensa & diducta in longum basi ex ratione & modo extrinsecus exorti anguli inuenturum credere. * Pater obstupescens admirabilem praecocis ingenii vim ambiguus haerebat, sibi somnianti an vigili haec, mentem jucundissimo mulcens adspectu, imago obueneret; itaque ut veritatis sui gaudii certior fieret, percunctando alius & interrogando rem eo deducebat, ut istud ingenii prodigium tandem in suggerendis rationibus ad simplicissimas illas enunciationes, quibus velut initiis ac fundamentis arcta compage vniuersae opus mathematicae est superstructum, descenderet. Tum vero gaudio suo amplius imperare non poterat pater: lacrymae oculis oboriebantur: abire properabat & laetitiam suam impertire alii. Aduolat ad Lepallorium (le Pailleur) spectatae fidei amicum, itemque hominem doctissimum. Ingressus ejus conclauae ex sanguis ibi, attonitoque similis stat, voce etiam suppressa, lacrymisque vultum irrigantibus. Hopes, iniquitatem veritus fortunae, quaerit ex eo; num tristis forte eum casus adflixisset? Hic stupor mentis, hae lacrymae, sic tandem ille e somno, quasi expergefactus, loquitur, non ex impatientia, sed gaudio insperato, insolito, verissimo manant. Ut semper sollicite cauerim, scis, ne filius meus, amore Geometriae iam dudum captus, intempestiue & immature ad eam discendam animum adpellat; sed vide, quo inflammatum ejus studium ipsum deduxit; sua mentis vi, sine magistro, sine libris eam percipere induxit in animum.

Neque

* Haec est propositio XXXII. I. I. Elementorum Euclidis.

Neque res intra conatum stetit; effectam dedit & indagando ad XXXII. Euclidis propositionem peruenit. Lepallorius ei suadebat, ne amplius imperum animi filii sui in haec studia sustineret, sed potius, quoad eius fieri posset, omni auxilio ei succurreret. Illo igitur abhinc tempore non amplius libros mathematicos pater filio inuidit. In primis Euclidis ei elementa assiduis versare manibus tempore a discendis linguis & disciplinis vacuo etiam atque etiam commendauit. Sponte currenti calcar subdebatur. Nam ex illo tempore maiori adhuc incensus studio incubuit ad hanc diuinam artem percipiendam. Itaque quantum alii temporis ambulationibus, quantum aleae, quantum pilae: tantum sibi ad studia haec diligentissime excolenda sumebat. Inde factum est, vt breui tempore eo nobilissima hac in scientia processerit, vt etiam cooptaretur socius a collegio quodam, quod singulis septimanis certas conuentus horas commentandi causa ad inuenta videlicet Mathematica & philosophica vel committenda vel iudicanda, Parisiis obibat. Admirabile erat, imberbem puerum & ne lanugine quidem signatum inter barbatos & seueros grauesque prouectioris aetatis homines confidentem, sua ipsis consilia impertientem & puerili proptereaue canora claraque voce perdifficiles ac subobscuras quaestiones a se euolutas illustratasque praelegentem conspiciere. Neque enim pueritia elevabat suam existimationem; quin aliquantum sibi tum perspicaci mentis acie tum feracissimi ingenii vbertate collegerat auctoritatis. Erat quippe inter eos, qui, cultissimi instar horti, laetissimam & inexhaustam rerum, tanquam florum, varietatem ex almo suo sinu effundebant. Quum insuper ex longe distitis terris, Italia videlicet, & Germania huic collegio varia scripta ad rem vel mathematicam vel philosophiam spectantia iudicanda transmitterentur: semper sua aequae ac reliquorum exquirebatur sententia; quin ipse saepe numero naeuos detegebat abstergendosque curabat, qui omnium effugerant oculos. Neque vero hoc gravissimum rerum vtilissimarum studium inflabat animum suum, abhorrentemque a linguis discendis faciebat, potius patrem, quem

)(

sancte

sancte reuerebatur, grammatica sibi praecepta tradentem sedulo auscultabat & mirificos simul in his artibus & linguis, quibus pueri ad humanitatem informari solent, faciebat progressus. Id tamen oppido patebat, se potissimum omnem mentis vim mathematicis impertiturum disciplinis. Licet itaque minimum temporis ipsis tribuerit: sedecennis tamen commentarios de sectionibus conicis confecit, qui ex sincero subtilique iudicio hujus rei scientium omnes post Archimedis tempora de hac reconditae atque subtilis artis doctrina commentarios multum vicerunt atque exsuperarunt. Quamuis autem grauiissimi viri ei auctores existerent, vt hunc venustissimum ingenii sui foetum publicae exponeret luci: gloriae tamen non appetens id facere eo vsque distulit, dum penitus hujus scripti publice edendi obliuio ipsum cepit. Inter haec, vt jam commemorauimus, non exiguam in literis Graecis Latinisque percipiendis operam collocauerat. Praeterea pater more Socratico tum inter prandendum tum a prandio multos vel de differendi ratione vel de naturali scientia vel de ceteris philosophiae partibus habebat sermones. Quos ille auida excipiens aure imbibebat animo & hoc pacto accurata harum scientiarum imbuebatur cognitione. Exinde factum est, vt Pascalis praeter patrem nulli se alii magistro expoliendum limandumque permiserit, neque vllam omnino vnquam scholam frequentauerit. Pater enim maxima fretus ingenii docilitate, quae exsplendescerebat in puero, nil opus esse duxerat, vt praeter se aliis illum magistris committeret. Ipse itaque dux & auctor filio suo facem ad doctrinam consequendam praetulit, vestigiaque ne vacillarent, firmavit. Neque auidissima scientiarum & artium cupido & intentum studium, quo puer flagrabat, inanem hanc operam fecerunt. Laetissimo mox prouentu satis ostendit, quantae fertilitatis solum illud, in quo doctrinae semina erant sparsa, fuerit. Vnum erat & grauissimum, quod poterat in hac institutione reprehendi. Parum videlicet circumspecte, parum prouide conferuandae filii valetudini intentus pater fuerat. Non accurata aesti-
matione

matione pensauerat, quantum damni tanta virium ingenii in tenella aetate contentio pareret; quantum incommodorum arcefferet; quot morbis januam patefaceret; quam corpus languidum, exsuccum, enerue & effoetum redderet. At nil antea tale opinatus tandem in filio annos nato duodeuiginti magna sua tristitia & consternatione persensit. Enimuero initio serpebat modo hoc malum neque manabat latius & propterea nondum spes euanuerat, fore, vt integram aliquando sit sanitatem recuperaturus.

Sed hic filium abrumpo. Quae deinde reliqua com memoracione digna in vita Blasii Pascalis mihi esse videbuntur, alii temporis & occasione reseruabo. Iam pergo ad rem, propter quam haec scriptio a me fuit suscepta. Nempe

IOANNES GEORGIUS PEVCKERTVS,

Crietzschwicensis.

Iuuenis doctrinae, ingenii, modestiae artisque musicae laude florens, qui quantum eum nosse mihi datum fuit, maximopere se se mihi commendauit & industriam ac solertiam suam luculentis indiciis testatam fecit, ad Academica excurrendi stadia cepit consilium. Grato igitur dum colit animo insignia promerita, quibus haec vrbs & schola eum deuinxit abituriens desiderat, quoddam pietatis suae statuere monumentum. Id optime a se fieri posse existimat si habita oratione Latina perorsa:

De animi perturbationibus vitae beatae nullam relinquentibus partem;

Oratione ligata vernacula laudes patronorum suorum pleno, quoad eius facere poterit, ore decantet. Quo facto

SA-

4708
SAMVEL GEISLERVS,

Oelfensis.

*sopitos ac compositos animorum motus multum ad beatam conferre
vitam ibit probatum & abeuntem piis prosequetur votis preci-
busque. Ut itaque Omnium Ordinum ac Dignitatum viri huic
actui oratorio, celebritatem concilient atque frequentes auditum
veniant perreuerenter oro. Perscripsi in schola nouae*

urbis prope Dresdam XIII. Calendas Iunias

∞ 1666 LII.



(X2298637)

ni



Ok. 526, 13.

B. m. II,

II 22
8708

BLASII PASCALIS

VITAE

COMMENTARIOS

ORDITVR

ACTVIQVE ORATORIO

DIE VICESIMO QVINTO MAII

HORA SECVNDA POMERIDIANA

CELEBRANDO

VT

BENEVOLE ET AVDIENTIVM ET IVDICANTIVM

CORONA MAXIMA

ORNAMENTO SIT

OFFICIOSE PRECATVR

M. GOTTHELF EHRENFRIED BECKERVS.

RECTOR.

DRESDAE,

EX OFFICINA HARPETERIANA.

